DE DENTITIONE EJUSQUE PHAENOMENIS DISSERTATIO INAUGURALIS...

Pasquale Brugnatelli

Digitized by Google

De Dentitione

EJUSQUE PHAENOMENIS

Dissertatio Inauguralis

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE
D.RE BARTHOLOMÆO PANIZZA
CORONAE FERREAE EQUITE
ANATOM. HUMAN. P. O.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS
Mense Augusti anno 1840
PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

Brugnatelli Paschalis

EX CORTI OLONA IN PROV. TICINENSI.

TICINI REGII
Ex Typographia Fusi et Socii.

Digitized by Google

726

Digitized by Google

PATRI OPTIMO

Digitized by Google

724

Digitized by Google

DE DENTITIONE, EJUSQUE PHAENOMENIS.

Organismum undequaque intuentibus tanta partium harmonia, tamque mirabilis adparet ordo, ut organicarum operationum vicem admirari cogamur auxilium inter se mutuantium, unde formam, vitamque humanum arripit corpus, in quo quidem humani ingenii potissimum effervere studia, cernimus. Quae porro harmonia tam late diffunditur, ut una corporis actiones ac munera ad diversa clymata, temperationes, aetates usque moderetur. Jam ambiguarum aetatum respice varietates, diversasque vitae periodos: en videas, functiones quidem mutari, alias contra vicem tenere, ut semper unum idemque totum illud, licet diversimmode modificatum, effulgeat. Quod si de hoc generali prospectu deflectere, animumque in arctius severiusque examen colligere libet, quinam mirabilior ordo adspici illo potest, quo organa primae digestioni accommodata natura disposuit? Quorum structuram sapientissima artifex ea varietate discrevit, ut diverso, quo digestio progre-

Digitized by Google

720

ditur, ordini bene respondeant. Tantae porro sapientiae pulcherrimum veluti typum videre est in dentitione. Cum dentium sit munus alimenta parare, quae in ventriculum postea sunt demittenda, dentitio vicem formamque e cibo, quo animal vescitur, mutuat. Hinc modo ad praedam corripiendam detinendamque est apta, quam inde vel integram sin minus dilaniatam mansamque deglutiat: modo contra dirumpere, discindere, conterere, ac vel in bolum alimenta redigere, unde succum altorem organismum haurire, par est. Neque animalia desunt, quae ob peculiare alimentorum genus dentibus minime indigent. Revera qui proprie dentium nomine adpellantur, ut ait Cuvier in Anatomia Comparata, tantummodo in tribus Animantium classibus reperiuntur, Mammiferis nempe, Rectilibus, atque Piscibus; nec omnes adeo harum Classium species dentibus instruuntur. Caeterae classes dentibus non utuntur, exceptis Echinodermiis, quibus veri sunt dentes, sed eo integumento circumdati, quod valde a vera maxilla differt. Hujusce a natura praefiniti ordinis nullum validius argumentum, quam in nonnullarum e tribus classibus specierum investigatione reperiri potest. Narvalus atque Balaena inter Cetacea dentibus carent. Narvalo bina sunt perlonga, durissima ossa uti ajunt, exerta, in spiram contorta, quibus certamina cum caeteris animalibus conserat. Vermibus, pesciculisque vescitur, quos integros devorat, non secus ac Balaena, quae superiorem malam septingentis laminis corneis tum in vertice, tum in latere instructam praesefert: quae porro laminae scin-

Digitized by Google

chintur in setas; quaeque proprie, fanoni, vulgo ossa Balaenae vocantur. Hae laminae interiorem faucium animantis superficiem adeo scabram efficiunt, ut pesciculorum magna turba adhuc spirantium interclusa haudquaquam e faucibus egressum hinc inde tentans reperiat. Fiseter, Macrocephalus, Delphinusque Phocaena, qui Harengis, Scombrisque, hisque similibus pascuntur, e quaque maxilla sex et quadraginta dentes conicos acutos ad praedam arripiendam, necandam, ac dilaniandam per opportunos proferunt. Orca, quae aliis Cetaceis vescitur, praeter peracutum aculeum, qui saepe saepius in sex pedum longitudinem protenditur, quo praedam ferit, et necat, unamquamque maxillam quadraginta amplis, obtusisque dentibus instructam habet, quibus substantias altrices comminuere, atque conterere posse videtur. In Brutorum ordine Manis, qui phormicis insidias struit, dentibus caret. In Armadillo, qui fructus atque arborum cortices carnemque avide conquerit, incisores atque canini dentes desiderantur; sed ambo maxillae latera septem vel octo molaribus cilindraceis brevibusque praesepta dentibus sunt, qui ad obterendam interjectam substantiam aptitudinem sane ostendunt. Verum dentium figuram diversis eorum muneribus accommodatam esse Carnivororum atque Ruminantium inspectio evidentissime declarat. Ferae, quae sua apprehendunt, feriunt atque dilaniant alimenta, dentibus anterioribus acutis, caninis oblongis, conicis, curvatisque, molaribus arctis in unam vel plures acies sese ad verticem scindentibus, utuntur; hinc dentes

1*

772

bicuspidatos, tricuspidatos, interdum adpellari videmus. Jam in Phoca, Cane, in Fele, in Lutra, Didelphio, in Urso, in Talpa, in Sorice, in Vespertilione, hosce characteres dignoscere liceat. In Ruminantibus, quos substantiae alunt lenta digestione solvendae, diuturnoque prius opere decoquendae, ac praeparandae, anteriorem inferioris maxillae marginem octo dentes sufferre, qui incidentibus respondent observamus: in superiori vero maxilla eo loco scilicet, qui ad dentes incisores spectat, nullum inveniri dentem, tantum modo prominentiam cartilagineam prostare, dignoscimus. Quid opis revera dentibus, si mediocris ad corripienda corpora sufficiat vis, quae tota collecta ac quasi compressa in conterendo conniteretur? Porro utraque mala unoquoque latere sex dentibus molaribus instauratur, quorum superficies ampla, ac veluti in rimas distincta exhibetur. Hoc in Camelo, in Cervo, in Antilope, in Capra, in Bove videre est. Contra Equus, Sus, Tapirus, Hippopotamus, Rhinoceros, ex utrisque maxillis anteriores obtusos, atque obtruncatos porrigunt dentes, qui sane a Ruminantium atque Arrodentium incisoribus discrepant. Hi cum singulari quadam in incidenda materia arte utantur, tamquam effodiendo abradant, duos in singulis maxillis in anteriori parte dentes habent incisores. Dentes in superiori maxilla consiti e summo ad imum, in inferiori contra ex imo ad summum inflectuntur, utrimque vero omnes in marginem peracutum desinunt. En habeas ad exemplum Hystricem, Castorem, Mures domesticum atque Alpinum, Chirum, Sciurum, Leporem, Cuni-

Digitized by Google

culum, et alia multa. Homo vero qui omni alimentorum genere utitur, quique virentibus terrae fructibus bene exquisitos familiarium atque silvestrium animantium sapores maritat, eo dentium adparatu exornatur, qui summopere omnivorae naturae conveniat. Quatuor incisores anteriorem maxillae partem tenere, quos in unoquoque latere singulos sequi dentes caninos, quinque postremo hinc inde superius inferiusque molares distribui cernimus. Inde fit, hominem, cum ad praefinitam vitae periodum adoleverit, pulcherrimam dentitionis speciem praeseferre, quae cum primae nutritionis officio optime fungatur, tum venustate quadam ejus oris formam quodammodo pingit, atque designat. Ajebat Hoffmann pulchram, et admirabilem esse seriem, qua in utriusque maxillae extremitatibus lyrae ad instar positi sunt dentes. Ita enim ipsos locatos conspicimus, ut superiores cum inferioribus committi queant, non tamen omnes simul et semel, ut variari actus possint incisionis et contusionis ciborum: commissis enim molaribus, anteriores superiores transgressi, inferiores tegunt, coeuntibus anterioribus, hiant molares, quiete et actione utrinque mutua intercedente. Sed enim pulcherrimum hoc opus non brevi conficitur tempore; ast plurium mensium spatio in eo condendo natura nititur, quae dum tanto beneficio hominem recreat, illum vitae ambiguum quasi illudere videtur. Jam tandem eo deveni ut constituam, quae in hac perbrevi disertatione evolvere in animo est. In hominum dentium natura, eorumque ordinata genesi phaenomenisque investigandis, quae tanto operi

724

quasi praesunt, praeclarissimorum ingeniorum studia atque inventa effulsere. Nobis anatomicam dentium structuram, eorum progredientem evolutionem attingere, ac nonnulla quae eorum geneseos phaenomena interdum comitantur, delibare sat erit.

ART. I.

Dentes, quibus homo est praeditus in illiorum classe, quos Anatomici ac Naturae investigatores simplices appellant, adnumerantur. In his, quae media substantia, tota ab altera materie, quae ad exteriorem partem vergit, praecingitur, neque ab ea tamen permeatur: ex adverso fit in Elephantum, ac Ruminantium dentibus, qui ex eo compositi vel semicompositi nuncupantur. Quod si eorum formam intimamque compositionem investigare in animo est, ut clarior postea eorum originis peculiaris modus eluceat, accipe. Nobis ab initio vel dura corpuscula compactissima, in duos ordines superiorem atque inferiorem duarum maxillarum marginibus alveolaribus respondentes distincta sese offerunt. In hisce tres distinguuntur partes: Corona, quae superior eminet, quaeque e gingiva diffinditur: hanc contractio quaedam, quae collum adpellatur, proxime accedit, quaeque in extremitatem plus minusve longam, simplicem vel multiplicem desinit, ossisque alveolo sub radicis nomine conditur. Ex diversis vero officiis atque figuris alii alios sortiere ab Anatomicis ordines; hinc in Caninos, Incisores, Molares dividi, constat. Incisores qui vel priores ex eo quod anteriori arcuum

Digitized by Google

parti insidunt, primique nascuntur, vel risores ex eo quod in risu detegantur, octo adnumerantur, quatuor in quaque maxilla. Horum coronae figuram scalpri exhibent ad marginem solutum largiores, ad radicem exhiliores, anteriori parte aliquantulum inflexae, interiori concavae. Substantia, quae adhaeret vitrea, antica parte spissior, postica minus, ad margines perexigua splendet, simplices eorum radices. Incisivi superiores inferioribus et latius extendi, et validiores arrectioresque esse conspicis, in solutis extremitatibus adeo convergentes, ut quaeque copia triangulare foramen exhibeat, cujus basis in alto est. Inferiorum figura exilior; copia externa major interna. Canini vel dilaniatores quatuor sunt, duo in quaque maxilla, incisores subsequuntur, oculisque respondent, unde oculares adpellantur. Ex corona rotundata, conica, acie in verticem acuta, nec non ex radice dignoscuntur, quae amplior ac longior in caninis, quam in incisivis superiori praecipue maxilla sese habet. Adde, quod radix canini dentis a dextra ad sinistram comprimatur, ac summopere robore praestet. Molares, qui extremam maxillae regionem tenent, viginti recensentur, in quoque latere quinque, qui etiam maxillares nuncupantur. Horum primus et alter coronam quadrangularem dentatam, atque rimosam referunt, eorumque superficiem biceps cacumen, rima intercedente, designat: hinc hi dentes bicuspidati vocantur, quod eis a Monro attributum est nomen, uti animadverti potest in Jekson Fisiologia, et Pathologia Dentium. Una radice constant, quae in duas dividi potest. Tres reliqui molares,

776

quorum quadrilatera forma, solutum marginem in quatuor acies a duobus alveis discretas desilientem porrigunt; hinc quadricuspidati dicuntur. Plerumque in tres radices desinunt, quae ad verticem valde divaricantur, vel divaricantur in basi, atque ad apicem iterum ad sese redeunt. Molarium superiorum magis quam inferiorum radices inter se divaricantur, id porro provvidentissime fit; cum enim in superiori mala antrum Igmori sit constitutum, et minor hinc exstet soliditas, dentium radicem magis divaricari, amplioremque amplecti locum opus est.

Si dentem in verticalem ordinem findas, cavitatem in ejus centro invenies, quae e radicis apice origiginem ducens, ubi per foramen recluditur, in dentis corona compescitur. Formam e dente ipso accipit ita, ut si incisivus vel caninus findatur, tum in radice, tum in corona cavitas reperitur, cujus figura dentis radicis aut coronae figurae simillima est: Porro conica, vel cuneiformis, bicuspidata vel quadricuspidata in molaribus prouti posteriores vel anteriores seligantur, adparet. Cavitas illa late in juvenibus patet, et paullatim, gliscente aetate, cohibetur. Haec omnia evidentissime e pulcherrimis ab Albino oblatis in Adnot. Accad. lib. 2 descriptionibus animadverti possunt. Exili membrana amicitur, quae per praedictum foramen ad radicem prorepit, perque illam vasa, nervique serpunt, unde massa subrubra, concreto juri simillima, gignitur, quae, senescente aetate, exsiccatur. Haec massa exquisito praestat sensu, ut si, dentis carie in adhuc vivo animante dirupta, detegatur, animal acerbissimis etiam uno aëris con-

Digitized by Google

factu, doloribus excrucietur. Si dentis scissuram inspicias partem radici spectantem compactissimam, et temporalis ossis parti petrosae omnino similem esse videas: si quâ coronae scissura respondet observes, eam manere substantiam, et candidissimae materiae, et valde compactae strato vestiri cernes. Hae substantiae aliud aliae sortiere nomen. Ossea prior atque interna, externa vitrea appellatur. Intima materies, quae proximius dentis cavitatem cingit, majori quantitate viget, totaque, si vitrea substantia per acidum nitricum solvatur, detegi potest. Tum porro durus nobis sese obfert contextus, qui e transversis lineis aliquantulum pellucidis, multisque fibrillis opacis sibi invicem in eundem ordinem quantacumque longitudo est succedentibus gignitur. Durior ea et spissior caeteris ossibus est, expolita, ut ait Sömmering, vel rasile sericum splendet. Quamvis ad ossa natura proxime accedat, ab illis tamen evidenter distinguitur. Verum enimvero non ea uti ossa contextu cellulari, qui paullatim calcarea depositione obdurescit, at e stratis mordicus alia aliis adhaerentibus quaeque simulac gignuntur obdurescunt, componitur. Quantumvis exquisitae adhibitae injectiones sint, nunquam tamen ullius vasis eam substantiam permeantis praesentia prominuit, uti in ossibus animadvertimus. Non in cellularis contextus naturam vergit; non pori adparent; neque cellula medullaris quantacumque dentis, ejusque cavitatis amplitudo existat, intercluditur. Aëri, igni, aquae obiecta non solvitur.

Externa substantia, seu vitrea in dentibus simplicibus totam tegit coronam, contra semicompositos

Digitized by Google

7?8

vel compositos partim, vel omnino pervadit. Lactis colorem, murrhae figuram imitatur, semifulgens, in longitudinalem axis dentium directionem, ideoque adversa substantiae osseae fibris fronte, fibrata. In superna coronae parte fibrae in rectum ordinem atque in radios distribuuntur, in dentium axis centro gingivam prope committuntur, paullatim inde curvantur, et contorquentur. Substantia illa osseam materiem humani corporis duriorem constituit. Hoffmann de dentium natura alloquens ait: « quod substantia externa durissima est modo, ut scintillulas edat in concussione cum ferro, etsi substantia lapidea non sit. Etenim dum integer dens humanus, immissus sufficenti aquae fontis quantitati per aliquot horarum spatium promptissime dissolvitur, remanente paucissima glutinosa, quae sulphurea et pingiuscula dentis portio videtur substantia. Solutioni, quando ad saturationem debitam redacta est, affunditur oleum tartari per deliquium, et candidissimum exurgit magisterum in usibus medicis cum illo, quod ex dente apri, aut ungula alcis sit, conveniens. « Igni dente obiecto vitrea a subiecta substantia sejungitur, neque adeo comburitur. Vitrea substantia glutine animali terrae calcariae conjuncto componitur, quae ad vivam calcem igne redigi potest. Ex glutine unde imbuitur, uti ait Cuvier in Anat. Comparata, fit, eam caeteris substantiis minus nigrescere, ex calce vero facillime in acidis omnino resolvitur. Sömmering revera acido nitrico diluto solvi, ejusque reliquias floculorum speciem praebere, neque in massam cartilagineam converti, pristinamque formam, uti de ossea parte

Digitized by Google

evenit, retinere testatur. Vigente acidi nitrici virtute, dentes interdum pellucidi fiunt. Succo canis gastrico corroditur, ut in Prof. Spallanzani sapientissimis experimentis elucet. Materie colorante facillime imbibitur, ut in illis qui mora, myrtique baccas dente compresserint, cernere licet. Hinc ortum est, quod nonnulli Populi aliquorum arborum succo dentes pingere consueverint; neque id ipsum ab Illustrium Virorum studiis abhorruit, qui idem in Catulis experti sunt. Radicem minime vitrea substantia operit, sed tantummodo subflava substantia colorat, quae adpellatur cornea.

A R T. II.

Dentes in utero accipiunt rudimentum, ut ex observationibus celeberrimi Eustachii in pluribus foetuum maxillis, Andreae Vesalii, Columbi, et omnium Anatomicorum nostri Evi comprobatur; unde intelligitur nullos de novo dentes creari, quando priores decidunt, sed dejectis prioribus, latentes succedere. Fabula hinc est in senio de novo creari quosdam dentes, quando nimirum decrepitae aetatis homines vel cum summo, vel sine dolore pariunt dentes, uti historiae observantur in Schnekio, Laurentio, Sebitio Bartholino, Helmontio. Infans revera absque dentibus nascitur; et quorsum hoc eum naturae dono frui oporteat, cum nullam ejus alimenta masticationem requirant? Cum lacte dumtaxat pulticulisque alatur, num meccanico ad mandendum illi opus est adparatu? Quum contra, adolescente jam aetate, alimenta de-

Digitized by Google

siderentur solidiora, tum ejus quoque maxillae instrumentis ad ea conterenda aptioribus instruuntur. Tunc primum detrudi, ac erigi dentes illi cernuntur, qui jam sub gingivis geniti latebant. Studium atque hujusce processus cognitio e gloriosis illustrium sunt repetenda Anatomicorum, Naturaeque scrutatorum laboribus, quos inter ab Albino, Hunter, Jourdain, Broussonet, Sömmering, Fenon, Blake, Fox, Cuvier, Illiger, Leveillè, traditae notiones mihi in hoc themate duces ac magistrae occurrent.

Faetui tres menses nato gingiva scissa, atque reclusa, in maxillae margine longitudinalis cavitas folliculorum inter se adhaerentium, ut unam massam repraesentent, seriem continens, observatur. A quarto ad quintum mensem oblungatur, atque in quatuor dividitur in singula maxilla sedes, que alveoli dicuntur. Hi longitudinali sepimento ab altera cavitate, quae, inferius atque intima jacet, sejunguntur. Sepimenta haec ab initio membranacea, in posterum cartilaginea hinc ossea fiunt. Jam scissa in perfecto foetu gingiva decem alveoli, ad decem deciduos respondentes, in anteriori superficiali externa parte consiti reperiuntur, dum eodem tempore decem in quaque maxilla alii posteriorem partem, quae altior inferiorque est tenentes, inveniuntur. Alveolorum tum prioris, tum alterius dispositio alternis vicibus gaudet. Illos inter vescicula est, quae totum occupat spatium, quaeque ab alveolo arripit formam, ejusque fundo adhaeret. Haec adhaerentia per cellularem contextum, per vasa nervosque efficitur, quae ex alveoli fundo sese erigunt; et ad funiculi parietes prorepunt,

Digitized by Google

atque extenduntur. Hic duabus membranis a Joan. Hunter, et Meckel investigatis descriptisque componitur. Juxta ejus doctrinam duo inter velamenta existit fluidum alium ab altero secernens, cujusque volumen ab aetate foetus conceptionis dimensa tempore directa ratione pendet. En quomodo Meckel describit folliculum. Lamina externa flacidior, mollior atque spongiosior interna sese habet. Cum gingiva continenter illa progreditur, ex quo fit, ut in foetu, primo praesertim graviditatis tempore, integer dentalis adparatus quâ gingivam amplectitur facillime extrahatur. Opaca, candidula alveolis vel periostii munere fungitur. Durior lamina interna et exilior est externa; illamque secretum sacculum seorsim edere facile demonstres. Ab externa aeque ac a gingiva distinguitur. Hinc est, quod Bichat inter membranas serosas eam collocaverit. Intimiori cum dentibus adfinitate, quam externa lamina, utitur, cum dentium organum proprie conditor sit. Duplex hic saccus nil ab initio praeter fluidum subrubrum vel subflavum, quod plures experti sunt Chimici, continet. Juxta Meissner observationes hocce fluidum clarum tantummodo a nonnullis flocculis internatantibus turbatur. Insipide sapit, mucose consistit, non filatim in fusione defluit. Inodorum tanto pollet acido, ut ceruleos vegetales colores rubore pingat, quod a Berzelio est comprobatum. Hoc acidum tartricum, vel lacticum esse, etiam a Berzelio in salivam repertum, conjicit Meissner. Copiosum praeter muccum, et albuminae aliquantulum, phosphatum calcis nonnullosque alios sales idest solphatos et idrocloratos tenuiori quantitate miscet.

Digitized by Google

742

In quocunque folliculo corpus plus minusve amplum, subrubrum, molle, flexibile, tremens, quod concreto glutini comparari potest, inferiori folliculi parieti basi adhaerens, cum alveoli fundo communicans inest. Corpus hoc liberum prostat, dentisque, ad quem pertinet, formam praesefert. Glutinoso contextu, fragile, vasis sanguiferis ex alveoli fundo orientibus abundans, dentis germen hoc corpus vocatur. Totum pene adparet cellulari contextu, vasis nervisque confectum, subtilique velatur membranula, quae e lamina interna folliculi in ipsum deflexa gignitur. Haec germina ad tertium quartumve mensem in apice a dura substantia, quae insuper quasi operculum innixa, non tamen inhaerens, operiuntur. Revera cum ipsa primis adhuc est tenella temporibus detrahi potest, neque adeo ullum conjunctionis signum ostendit. Exquisitissimis licet iniectionibus liquidi ne stilla quidem adhuc imbui potuit. Quare haec materia non ex substantiae calcareae in cellularem contextum depositione, in qua quidem, uti jam vidimus, discrimen eam inter et ossa emicat, verum e peculiari secretione in germinis superficie parta proditur, quae concrescit, dentisque, cui spectat, coronae figuram refert. Ea materies stratorum more distenditur, quae simulac sunt effecta non amplius immutantur. Sufficiat porro animalia inspicere, quibus alimenta substantiis colorificis commixta suppeditantur; ex eorum dentibus osseam substantiam in strata distinctam colorum varietate discreta superiniectam videbimus. Quum quis aliquo affectus fit in dentitione morbo saepe saepius ejus dentium lineam,

Digitized by Google

quae hac periodo erecta est, a caeteris colore differre observamus. Quod quidem evidenter declarat, dentis substantiam nil aliud quam peculiarem dentis ejusdem germinis secretionem esse, quae inde velaminis instar dentem circumtegit. Neque hoc, si quantacumque dentis longitudo est totam amplecti ebur perspicias, preterit. Haec ossificatio, teste Cuvier, in germinis apice incipiens descendit. Corona prior existit, posteaque osseae laminae collum usque pertingunt. Postrema in osseam radix abit substantiam, atque minima usque remanet. Haec radicis ossificatio in homine, ac animalibus, quae dentibus utuntur simplicibus, praesertim in Carnivoris, cum dentis eruptio imminet, continuo fit. In Erbivoris dentibusque compositis utentibus nonnisi cum corona aliquantulum exercita sit, incipit. Quantum haec cognitio proficiat e corollariis Practicis, quae ad hominum aetatem dijudicandam hauriri possunt, intelligitur.

Stratum hoc internum, quasi ossea natura constitutum, ab ossibus tamen ob praedictos characteres differens, cum adhunc in folliculo existit a substantia in illud sese reclinante eandemque referente figuram operitur. Ea amovi spatula potest, quae si inspiciatur colore albo perlacteo, semifulgens, durissima sese offert, omnesque denique notas a substantia vitrea mutuat. At undenam oriatur, in hoc et studuere et scripsere plures. Est qui eam germinis secretionem esse putet, quod per substantiam internam vascula transmittit, eaque circumfossa, hanc novam materiem exsudet. Sed anatomiae subtiles investigationes non adhuc hosce communicationis novere modos. Caete-

Digitized by Google

744

rum si attente investigatur, non aliter ab initio, quam pulticularis substantia quae tantum illi innectitur, sese ostendit. Probabilior sane Hunter se prebet opinio, qui eam membranae internae folliculi secretionem esse putat. Ad hoc devenit observans membranam foetus in germine dentis inniti, si vero injectio fiat, ex ea partem liquidi fluidiorem manare. Hoc etiam e dentium Erbivororum inquisitione patet. Secto in his molari dente, quae media substantia partim osseam, partim vitream esse, vitreamque alteram in longitudinem omnino dividere, cernimus. Hoc explicatur, si originem molarium dentium in iis Animantibus inspiciamus. Hos ab initio duo germina efficiunt, a sepimento segregata membranaceo, multum interfuso vasis, magis cum vitrea substantia elicitur. Iterum prout germina paulatim conjunguntur, sepimentum membranaceum exsiccatur, ac in illius locum substantia vitrea, quae omnino cohibetur, dentemque efficit unum, succedit. Patet inde, hanc membranam in dentibus substantiam eburneam gignere. Verum cum in homine quoque germen simili follicularis sacculi propagine egatur, tum eburneae substantiae evolutionem eandem sequi in homine legem concludere liceat. Quare cum dens semel emerserit non amplius haec secunda substantia reparari poterit, dentisque incrementum non aliter quam ab interno ad externum, magis magisque sese cohibente cavitate, fiet.

E secretione igitur hac duae adeo inter se discrepantes substantiae originem ducunt, atque hinc iisdem moderandae sunt elementis, quibus et aliae secretiones

Digitized by Google

reguntur, scilicet a vasis, nervisque, quibus revera dentium germina abundant, ideoque exquisito praedita sensu. Surculi nervosi a Trigemino proveniunt; superioris maxillae dentes filamenta a secundo ramo, qui Maxillaris superior dicitur, attrahunt. Antequam canalem supraorbitalem ingrediatur hic ramus duas diramationes, quae dentales posteriores appellantur, porrigit. Primus vel internus filum extendit, quod in maxillaris sinus parietis canalem ingrediens ad dentalem devenit nervum. Alii porro, ossis substantia defossa, secundi ac tertii molaris radicem pertingunt. Dentalis quoque posterior externus ad hasce radices, illarum perfossis alveolis, extruditur. Nervus hinc maxillaris superior postquam sub-orbitalem canalem percurrerit, ad orificium externum nervum dentalem anteriorem protendit, qui posteaquam cum dentalis posterioris surculo se consociaverit, primis molaribus, caninis, incisivisque se dedit. Maxillae inferioris dentes vitam e maxillaris inferioris surculis accipiunt. Hinc, multis ramunculis per propinquos musculos, perque linguam disseminatis, ramus ille inferioris maxillae canalem pervadit, filamentaque per omnes dentes distribuit. Arteriae a ramo Carotico externo discedunt, ad superiorem maxillam a suborbitali, ad inferiorem a maxillari interno nascuntur, cademque, qua nervi, directione vertuntur. Venas arteriarum ordine ac lege dirigi, constat.

Ea regula eoque ordine geniti dentes subsequentis substantiae depositione crescunt, et paulatim marginem gingivalem attingunt. Hic variae hypotheses de illorum ortus ratione occurrunt. Ea nonnullorum

Digitized by Google

746

opinio est, infantis naturae ad certum evolutionis gradum deflexae non amplius illud cibi genus, quo antea alebatur, esse conveniens; contra solidiora alimenta materiasque requiri, quae satis evolutionis periodo faciant. Inde fieri, quod dentes ex infantis gingiva erumpant, vel instrumenta, quae tanto munere bene fungantur. Ita sentit Bichat observans, interdum membranas supra dentem inveniri flacidas; hinc earum absorptionem ac macerationem minime per successivam assiduamque inferius effectam pressionem explicari posse. Serres contra asserit, quasi vim externam attrahentem existere, quae ad gingivam germen rapit, unde prodit, duci, ut ait Auctor, obtemperans, cui nomen, gubernaculum dentis. Ut fieri videmus in tumore, in polipo, hisque similibus, qui prius in cavitate clauduntur, postea, adaucta mole, cavitatis parietes distendunt, attenuant, perforantque; ea demum ratione dens contra gingivam prostrans, eam urget, extenuat, gingivaque a vasis absorpta, prominet. Hoc porro eo facilius promptiusque infantibus fiet, qui perfecti a bene valentibus genitoribus proditi in lucem sunt. Si mater in graviditate nulla fuerit vehementi passione affecta, si hilaris atque contenta sese habuerit, neque insalubres fuerit depasta cibos, filiusque optimum e mammis lac in nutrimentum hauserit, uti Rosenstein, Harres, Capuron, et alii multi commonuere. Qua haec eruptio primum incipit periodum omnes in septimo designant mense. Clinicis tamen observationibus declaratur, difficiliter hac infantem periodo emittere dentes; dum generatim nonnisi octavo vel nono mense incipiat

Digitized by Google

eruptio. Dum ad hanc aetatem puer pervenerit, incisivi medii inferiores, aliquot post hebdomadas medii superiores erumpunt; quindecim inde, vel viginti dilapsis diebus, incisivi laterales modo inferioris modo superioris maxillae adparent; hos alterius maxillae laterales subsequuntur. Secundi anni initio duo primi molares inferioris maxillae produnt, hinc qui hosce spectant, superioris maxillae. Ad vigesimum circiter mensem canini inferiores, postea superiores exeunt. Sebaltier contra, Hunter, Boyer, Bichat, Cuvier, eos priusquam molaris anterior semper oriri, existimant. Secundum inter et tertium annum duo subsequentes molares tum inferioris cum superioris maxillae eduntur. Ita puer, tertio flectente anno, viginti instruitur dentibus, qui decidui, eo quod decidant, appellantur. Jam, duobus molaribus anterioribus ortis, prima dentitio perficitur. Hi dentes infirmam coronam, amplissimam cavitatem, radicem brevem ostendunt.

Hoc adparatu instructus septem annorum aetatem puer attingit. Tum hi decidui eodem, quo orti, ordine cadunt, ut aliis sedem relinquant. Hoc phoenomenon pluribus tribuitur eventis, ac primum maxillae evolutioni. Cum deciduis perbrevis sit radix, maxillaque in majus progrediente volumen, alveolus etiam ille, in quo dentes innituntur, evolvatur, ne claudicent at fortius parietibus adhaereant, decidant priores, par est. Nutrimentum illis deest, cum eorum exsiccentur vasa sanguifera, totaque hujusce vitae pars in augmentum perfectamque aliorum dentium, quorum usus perpetuus esse debet, evolutionem concurrere videtur. Adde quod dentium perma-

Digitized by Google

nentium eruptio eos adurgeat. Deciduorum loco providens natura validiores alios subigit, qui ex eo, quod ad extremam vitam perdurent, permanentes vocati. Hi illo, quo decidui abiere ordine subeunt; sese erigunt, perforantque postea sepimentum osseum, ac in egressi dentis alveolo insidunt. Quare patet, quanto firmiores sint oportet; altiori neque adeo recta radice. Permanentes numero deciduos antecellunt. Praeter viginti succedentes, ad octavum annum quatuor alii molares eliciuntur, quos unum vel duos post annos quatuor alii subsequuntur molares. Hi posteriores vocantur. Incerta autem variaque temporis periodo extremi quatuor dentes; uti ajunt, sapientiae, nascuntur, eo nomine designati, quod a vigesimo ad trigesimum annum evolvantur. Tum porro perfecta dentium serie homo exornatur, qui ad duos et triginta pertingunt. Ipsi in elegantem semicirculum distribuuntur, tum in superiori, cum in inferiori maxilla in prima quam in altera ampliorem, ut extremus partim ante tegatur. Marginem superiorem in anterioribus dentibus simplicem, et ex apice canini ad extremum molarem in duplicem desinentem, porrigunt. Pulcro colore albo fruuntur, qui summo in hac parte praetio pollet, tum quia eorum excellentem qualitatem, tum optimam valetudinem praesefert, hinc Hoffmann ajebat ». Quoad colorem dentium, is quo candidior, eo melior est, et sanitatis dentium certius inditium: impediunt vero candorem illum negligenti, senectus, et morbus. Verhegen inquit colorem flavum, et nigrum nonnisi praeter naturam, et ordinarie per corruptionem accedere. In juventute

vero usque ad annum circiter trigesimum dentes albissimi sunt, et deinde tendere solent nonnihil ad flavedinem, quae cum majore aetate intenditur, redditurque color albus obscurior; eo tamen nunquam, nisi preternaturaliter spoliantur, et aetates dentium secundum colores Helmontius distinguere docet. Variat tamen hic color, etiam ratione clymatum, hinc Australes dentes nitidiores habent borealibus; Aethiopum et Egyptiorum candor, et ob aëris benignitatem, et Nili sanitatem, caeteris palmam praeripit, quod idem Helmontius animadvertit, nec non Petrus Joannes Faber ac Prosper Alpinus de medicina Egyptiorum ita scribens: dentes juventutem suam servant et vigorem, nec cariem sentiunt nec dolorem ».

Quum dentium sit munus masticatio, diuturno usu vitrea eorum substantia consumitur, paulatimque exiliores fiunt, ut, cum hominis aetas ad sexagesimum vergit annum dentis corona brevissima extet. Nec ea tantum amittitur, verum etiam maxillarum alveoli dentiumque radices deteruntur, qui ad certum tempus imminuti, neque amplius suffulti decidunt. Tum vero alveolorum, quae adhuc perdurant parietes in unum corpus contrahuntur, neque adeo praexistentis cavitatis signum relinquunt: quorum marginum osseorum confricatio masticationis quamvis imperfecte fungitur munere. Quare quanta dentes in maxillarum formam orisque habitum virtute agant, perspicuum est. Hoc perillustris novit Cuvier, et mihi primos hujusce facti characteres delineare liceat. Breviores in adhuc juvenibus animantibus maxillae sunt, cum nondum omnes sese erexerint dentes, maximeque

Digitized by Google

750

in illis, quorum canini non adhuc perfectius sunt evoluti. Ex quo illorum in facialem angulum modica actio emergit, unde tenellorum puerorum est repetenda venustas. Maxillae in infantibus altitudo cum septima capitis parte congruit: cum postea ad trigesimum vel quadragesimum annum adoleverit, dentibus valde evolutis, quinta minor efficitur. Dilapsis porro dentibus, quae ad alveolos spectat maxillae pars paullatim imminuitur, maxillaque demum totius altitudinis, quam in adulto retinebat, dimidium refert. Ramus quoque ascendens a dentium conditione modificatur. Ut suo muneri maxilla bene respondeat superiorem attingat, necesse est. Inde fit, quod in in infante dentibus casso Condilus non magis, quam alveolaris margo elevetur, et Apofisis Coronoidea supra ipsum quantumvis est longa erigatur. Prout dentes oriuntur angulus maxillae posterior retruditur, superior margo qui peroblique jacebat dirigitur, Condilusque sese erigit. Septimo adhuc anno aliquantum ab apofisi coronoidea altitudine vincitur, ad decimum adaequat, ad trigesimum aliquantulum antecellit. Quum post dentium decessum non amplius detrudatur posterior angulus, obtusior fit. Hinc, decrepita senecta rami orizzontalis inferioris maxillae margo superioris marginem antecedit, ut masticatio impossibilis evadat, senilisque facies deformitate inficiatur.

Quamquam regularis haec, et bene ordinata diversisque temporibus conveniens evolutio constanti, generice loquendo, a natura lege regatur, aliquando tamen fit, ut a tanto ea recedat ordine, ac innu-

Digitized by Google

meras prope anomalias pariat. Harum plures in auctoribus legere est; nonnullas tantummodo delibare mihi sufficiat. Dentes tum ante, tum post primae dentitionis periodum erumpere possunt. Interdum foetus dentibus muniti nasci videntur. Plerumque incisivi tantum sese ostendunt: uti de Aloysio XIV, et de Mirabeau narratur. Hi dentes plerumque brevi dilabuntur, cum exilissimae radici adhaereant. In nonnullis contra nonnisi secundo vel tertio anno dentes adparent; nonnullique etiam omnino dentibus carere visi sunt. Hujusce anomaliae unum a Borelli adducitur mulieris exemplum, quae ad sexagesimum annum nullo adhuc instruebatur dente » Mulier, ita se exprimit, nata sine ullo dente, sic per sexaginta annos remansit, nec unquam ullum dentem habuit ». De aliis refertur, qui in quaque maxilla sexdecim dentium vicem gerente osse utebantur. Plutarcus ac Valerius Maximus Pyrrum Epiri Regem, atque unum e filiis Prusiae Bytiniae Regis hoc phoenomenon praeseferre enarrant. Calva inferiori maxilla cassa a Bernardo Gengha in ossum cumulo reperta in Nosocomio S. Spiritus Romae, quatuor tantum dentes porrigebat, quorum unus pro quatuor incisivis, duobus caninis, quinque molaribus erat. Dentes etiam supra consuetum numerum oriri constat, Plouquet, sibi in inferiori maxilla quinque incisivos esse dentes enarrat. Sarae incolae calvaria, quae in Camper collectione invenitur, Europeique altera quinque incisores habent dentes. Tertiae quartaeque dentitionis exempla produntur, Hunquebauen in decem annos nato puero decem tertio oriri dentes inspexit,

252

secudae dentitionis non aliter quam primae decessis, consumptisque dentibus. Plura refert Haller exempla. In sex et octoginta annos nata muliere quatuor annorum spatio viginti quatuor orti sunt dentes. In annalibus Clinicis Societatis Medicinae Praticae Montpellier legimus, senem centesimum jamjam ad annum adpropinquantem, qui a quadragesimo anno omnes dentes amiserat, novos miratum tres in superiori, tres in inferiori maxilla tam belle dispositos dentes, ut iterum, et quidem non mediocriter compacta alimenta mandendi subiret spes. Doctor Cayals idem in suo patre jam duo et sexaginta annos nato evenisse subjicit. Postremo addit Sebatier, Diemerbrockium non modo in plus quam quadraginta annos nato homine unum e minimis molaribus reproduci vidisse, verum sibi quoque unum e caninis, qui aliquot annos ante decesserat, fuisse instauratum. Directionis etiam, vel sedis vitia in dentibus recensentur, quae ab irregulari alveolaris arcus, a quo dentis incrementum regitur, evolutione effici possunt. In Albino legimus, in quodam homine duos mirabiliter dimensos dentes fuisse inventos, quorum radice ad imum, corona vero altum spectaret, cum forum maxillare alveolusque deessent, a quibus in sua evolutione ducerentur. Idem Albinus, dentem ubi os maxillare pallatino conjungitur fuisse repertum, testatur. Sebatier porro, pro uno dente duos e canina specie inventos, asserit. Dentalia germina inter se adhaerentia manere possunt, ex quo fit, quod, qui succedunt dentes, integram ostendant massam, corona et radice sese amplectentibus. Praebet exempla Sömmering, atque

etiam Marjolin. Fox insuper utriusque conjunctionis exempla proponit.

A R T. III.

Dentium eruptio nihil aliud est quam factum mere physiologicum, et pluries, quin aliquod illi accedat phoenomenon, perficitur. Interdum tamen lentissima fit, gingivalem contextum distendit, et cum maxima sit inter hasce partes cerebrum atque organa digerentia adfinitas, morbosa multa occurrunt phoenomena, quae eorum quasi evolutioni praesunt. Hoc revera eo in infantibus probabilius, in quibus exquisitus viget sensus, ut modica vis innumeras prope in illis adfectiones excitare valeat. Ernestus Platner de causis physiologicis nervosi consensus adloquens ait. « Adfectiones dentium in pueris, quae conjunctae fere semper esse solent cum spasmis infimi ventris explicantur ex eo quod partes illae corporis nostri, quae inclinatae et propensae sunt sive ad dolores; sive ad spasmos et convulsiones, etc. per levissimam quamque nervorum commutationem, multo magis per graviorem morborum incommoditate afficiuntur, ac debilitantur; sic ut in dolores, spasmos, convulsiones incidant fortuita quadam perpessione. Ita dum pueri maxilla septennium non egressi debilis est, ipsa per se participat omnes turbas, ergo etiam eas quae nunc in ventre comittantur. Et inversa ratione venter in pueris torminibus abnoxius est, igitur dum dentitionis molimina fiunt, torminibus praebetur occasio ». Cum de infantum morbis sermo est,

Digitized by Google

754

prima illorum causa dentitio designatur. Et revera primae dentitionis periodus infantiae et pericolosius, et gravius tempus evadit. Hippocrates ipse ait, puerum multis distringi morbis, videlicet cutaneis eruptionibus, febribus, convulsionibus, diarrhoeis. Harris inquit: inter omnes affectus, qui vitae infantum interminantur, nullus tot gravia simptomata progenerare solet, quot dentitio difficilis et laboriosa, ex tenella compagine eorum corporum. Rosenstein adfirmat, infantes dentitionis tempore turpioribus inquinari deformitatibus, cum potissimum mucosa tum sese habeant ossa et flexibilia: nam uti opinat le Roi omnia sanguifera vasa, quae per ossa serpunt, ita turgent, ut ossa rubro pingantur colore, ideoque infantes, cruribus enervatis, vestigia movere recusent. Hinc prudenter a cogendo abstineamus, sin minus distorti fiunt. Dentitionis ergo summi infantibus periculi tempus ingruit, cum difficilior copiosiori ad superiores partes sanguinis defluxu efficitur. Non tamen omnes qui occurrunt in infantia morbi semper dentitioni sunt tribuendi. Cum aliqua morbi causa in promptu sit, continuo ea ad multas explicandas adfectiones in medium profertur. Hinc est quod dentitionis dificilis, ac laboriosae saepe saepius resonent voces, dum contra extranei morbi dentitionem laboriosam atque dificilem reddant. Medicus qui quidquid ignorat pendere recuset, nisi validiora conquisierit argumenta, non tamen usque a causa referenda, quam consuetudo designat, dum incerti illudant casus, prudenter abstineat. Heinecken de idropisia cerebrali adloquens in memoria inserta Medicinae An-

Digitized by Google

nalibus, licet morbosos accidentes a dentitione partos non inficiatur, attamen ea esse opinione videtur, dentitioni saepe saepius falso morbosa phoenomena tribui, quibus hoc vitae momento infantes crucientur, quaeque sane plerisque in casibus a cerebralibus adfectionibus, e sanguinis in cerebro effusionibus oriuntur. Plerique dentitioni a Sauvages tributi morbi, dentibus perfecte faciliterque eruptis, perdurare visi sunt; quod quidem auctor ipse de trismo dentitioni odontalgiaè adiudicato testatur. Adserit Rosenstein, non omnes, quibus pueri adficiuntur, a dentitione repeti posse morbos, verum multas prostare, a quibus gignuntur causas. Nihilominus dentitio morborum est causa praecipua, et Heineken multis inspectis, qui difficiliorem dentium eruptionem reddunt, morbis, quique ab hoc processu repetuntur, adjicit, non inficiandum, morbosam cerebri actionem in dentitionem agere posse, uti haec invicem in illud agit. Morbi causam e dente pendere noveris, si infantem digitum ad os erigere ejusque e labellis salivam defluere videas, vel si salivam deglutientem vomitio, vel diarrhoea, quae quidem dentitionem promovent, exagitent; si gingivae inflammatae intumescant, si amygdala, oculi, genae turgeant.

Duplex est dentitionis tempus infantibus molestum, unum quo dens osse maxillari primum exurgere nititur; alterum quo dens mole jam acutior, et amplior factus gingivam tumidam semper reddit, inflammationem insignem in eamdem parit, atque eam perumpere omni vi conatur. Hi accidentes morbosi

Digitized by Google

356

sub duplici considerari possunt adspectu. Locales alii, qui e gengivali praesertim congestione, generici alteri, qui e sympatica cum cerebro et digerente adparatu adfinitate pariuntur. E localibus dolor est. Hoc ita cruciatur infans, ut a papilla unde alimentum tam sibi congruum, et prius expetitum hausit, refugiat. Gingivae rubrae, turgidae, aridissimae; hinc salivae defluxio assidua; hinc corpora quaeque dentibus contrectandi cupiditas; inextinta sitis, roseae calidaeque genae, sternutatio; mollis oculorum adeo sensus, ut a luce abhorreat; maxillarum glandularum affectio Parotidum praesertim; tumescit collum. Hic ad gingivas sanguinis abundantior fluxus ea interdum copia fit, tantamque adfert irritationem, ut teste Billard flogosis subsequatur, quae contextus mollit, ac etiam destruit, nec interdum abest hemorrhagia, qua totus refertur folliculus. Dentis quoque germen phlogosi, corripi potest, ut Baglivi, Moreau, la Sarthe, et Oudet declarant. Haec flogosis, irritatioque ad proximos contextus, ad linguam, ad palatum provehi potest, quae inde tot aphtis teguntur. Harris haec habet ad rem: quandoque tempore dentitionis aphtae, ulcera oris efformantur caliditatis fere igneae, modo ut os totum adeo interdum exulceretur, ut nec mammas quantumlibet dilectas, neque cochleare pulticula praesertim calida repletum queat sine molestia admittere os ipsorum tenerrimum, et quaquaversus exulceratum.

Accidentes generici, qui dentitioni sese addunt comites, adnumerantur convulsiones, epilepsia, dolores cholici, diarrhoea, vomitio, diabetes, supressa

Digitized by Google

urinarum secretio, tussis, sopor, apoplexia, prout humorum fluxus sympatice caput, vel ventrem spectat. Sauvages ait interdum eclampsia e dentibus gigni. Incisivi, inquit, minorem, canini majorem, molares maximum dolorem inferre censentur. Quo accessus eclampsiae frequentiores, eo pejus; quo in intervallis minus valet, magis stupet infans, eo pejus. Si frequentes sint accessus, et in intervallis papillam recuset infans, aut sopore tentetur, fere semper lethale. Alio vero loco hic auctor usque in morbosae adfectionis specie referenda accuratissimus adjicit, quod tussis et vomitus, quandoque a dentitione oriuntur sympatice, ex gingivarum distractione. Boerhaave in suis Aphoris. Medicis ait: quando dentes incipiunt prodire maxime acuti ab tensione, punctura, laceratione gengivarum nervosarum oritur convulsio, alvi fluor viridis, febris, mors. Harris ita morborum e dentibus orientium seriem describit. In infantibus dentitione correptis, facillime observantur tormina ventris, vigiliae, inquietudines, profluvium alvi, aut ejusdem constipatio, dejectiones et vomitus virides, aphtae, febres, convulsiones et similia. Ac revera si infantes a dentibus vexantur, neque satis lubricum habeant corpus ab Eclampsia et convulsionibus facillime corripiuntur. Altera morbositatis species infantibus plerumque lethalis illa recensetur a Sauvages odontalgiae dentitionis nomine descripta: ita de ea disserit. A sexto aetatis mense ad annum, et ultra infantes odontalgia dentitionis identidem ita laborant, ut ex hoc morbo plurimi moriantur. Interea apud Parisinos infantibus sexennis, ut narrant,

Digitized by Google

75V

molarium eruptio odontalgiam tam immanem creat, ut plurimi hoc aetatis anno inde enecentur, quod apud nostrates non accidit. Procul dubio igitur, periodus illa infantis vitae adfert pericula, quae ceterum ab illius natura, atque organismi in nascendo contractis labibus metiri par est. Hinc, ceteris paribus, debiles, graciles, fibraque irritabili sensibilique utentes, quam validos fortesque majus urget periculum. Ex quo fit, ut si dentitio occurrat, cum puer variolis, inoculatione, morbillo, scarlatina, impetiginibus adficitur; si nutricis tristia sugit ubera, gravius tum portendatur periculum. Quo adventante, trepidas in nati vita matres praestigiatorum magna turba remediis precinta inanibus adgreditur, triste quidem at certum periculi argumentum. De iis, quae subdula ars remedia comparat loqui non operae praetium est; quae utinam cum inutilia, tum inoxia semper evaderent. Ea tantum in medium proferre liceat, quae scientia et experientia in plerisque saltem casibus utilia proposuere.

Quum ergo dentitio interdum morbosos accidentes pariat multos, eaque variis ex diversa organorum natura sese habeat modis, omnis in eo cura eniti debet, ut illi via recludatur, diversisque temperationibus moderetur. Hinc prae ceteris lubricae digerentes servandae sunt viae. Integra nutrix integrum infanti praebeat lac, vivacioribus abstineat ea potionibus, neque cibis, in quibus exiguum inest nutrimentum, utatur: sibi infantique quasi communem esse vitam, hujusque valetudinem e sua válctudine pendere, commemoret. Si puer robustior sit irritatio-

Digitized by Google

nis flogosisque in gingivis signa adparent. Tum vero diluentia, antiflogistica, balnea, pediluvia tepida, hirudines quarum una vel duae post aures adplicentur peropportune, uti Harris, Rosenstein, Billard, Caputon aliique practici commendant. Si contra debilis gracilisque, vinum, infusio aromatica, syrupi tonici, Chinae, Rhei, Gentianae in ejus pulticula cinamomo et cariophillone adjectis. Sin dentitio in infante sit valde irritabili, phoenominisque comitata nervosis, convulsiones nempe, vigiliae, subsultus, agitatio, tunc puero opitulentur aqua florum Aurantiacum, Eter, Diacodii syrupus, parva vescicatoria ad aures, aqua cohobata lauro cerasi. Sydenham in gravi dentitione nihil salubrius quatuor cervi cornus spiritus stillis aromaticae aquae commistis novit. Boerhaave accedit testis, qui adventantes convulsiones cito ejusdem spiritus dosi sedari, adserit. Vigente Eclampsiae paroxismo nil praeter clysterium, interne praeter oleum amygdalarum dulcium accomodatum est. Si nequeat capere somnum, et assidue clamitet stilla laudani in syrupo meconi alicui potioni infusa suppeditetur; tum si semel vel bis, redeunte accessu, remedium instauretur, teste Rosenstein, phoenomenon abit. In gingivali irritatione Van-Swieten lactis cremae, albuminis ovi, violarum syrupi mixturam proponit. Ita etiam radix altheae imbuta syrupio, vel saccaro porrigatur masticationi. Oleorum, adipum in difficili dentitione usum a Chirurgo Bourdet rejici invenio: ait enim, sese magis magisque gengivis mollitis inflectentibus tardius perfodi. Citri succum ex adverso commendat, et revera praeferendum pu-

Digitized by Google

766

tamus, dummodo tamen, uti addit Rosenstein, non pergravis existat flogosis.

In quotidiana praxi, cum puer copiosam salivationem emittere incipit, papillamque valde perstringit, omniaque demum ostendit indicia, quibus ad dentitionis periodum cum pervenisse dignoscas, continuo nutrix vitri, metalli, eburisque mamillas illi offert. Haec instrumenta a Van-Swieten adprobantur, cum natura ipsa tradat, qua duce, puer digitos titillat gingivis ac mordet. Sed illa inutilia immo noxia evadunt, eo quod plus afferant irritationis, uti accidit, ait Gardier, de scabioso, qui sibi dilacerat vi discerpitque pellem, ut, momentaneo dilapso levamine, irritatio et flogosis acrior subeat. Num, Genevae philosophus ait, natu animal parvulum suos sese erigentes in ferro, ossibus, lapidibusque exercere dentes aspicitis? Minime sane, eligitque potius lignum, corium, pannum mollesque materies atque flexibiles, quibus dens imprimatur. Illis ergo subeant instrumentis glycyrhizae cannulae, bismalvae radices aquae hordei melatae imbutae, panis crustula, quae acriorem gingivarum sensum, molestumque pruritum obtundant. Sin omnia inutilia evaserint, irritatione doloreque durantibus, Paraeves scalpello gingivas aperire jussit, antequam lethalia signa superveniant, quod remedium exoptato cum successu aliquot suis liberis, praesentibus nonnullis Medicis regiis, et Guillelmo Chirurgo, adplicavit. Hoc a Van-Swieten acceptum nobis praeclara salutis infantibus prope vita functis restitutae exempla commendant, quae omnia Beaunus, Lemonier, Sirtannier, Underword, Rosen

Digitized by Google

confirmant. Multi tamen e Chirurgis eam quasi inutilem ac saepe noxiam operationem rejiciunt. At observare liceat, hoc tum fieri dumtaxat, cum non debita ratione, neque opportuno temporis momento suscipiatur. Si enim multo ante temporis gingiva aperiatur, tunc deficit ars, vulnus antequam dens prodeat obducitur, hinc difficultates acriores urgent, vel inflammatur et ulceratur, dolorosa ac periculosa stomatite subsequente. Quare cum Harris concludamus « curandum esse Medico, ut scalpello incisio semper fiat, quod et Rosenstein, Van-Swieten, et alii quamplurimi admittunt, in dentitione difficili, quae convulsiones, febriculas, diarrhoeas inducit; sed in secundo tantum dentitionis tempore convenire ».

FINIS.

Digitized by Google

362

THESES DEFENDENDAE.

1. Novitatum cupiditas scientiarum omnium, ac in primis Medicinae perfectioni obest.

2. Variolae tutoriae insitio indirecta tantum populi incrementi causa.

3. Rubor qui in cadaverum membranis reperitur, non semper praegressae phlogosis signum.

4. Rationalium omnium, ac probabilium symptomatum complexus in graviditate ad septimum adaucta mensem, foemina caeterum sana, signum sensibile certum aequiparat.

5. Morbi, qui sub dentitione occurrunt, non omnes ab ipsa repetendi.

6. Motus resilitionis, ex se ipso signum sufficiens verae graviditatis.

49 939007

Digitized by Google